Adeo sane beatus fuit ille ut si cum Erasinide ad Arginusas suo damno vicisset.

Permutatarum particularum ἤ et ὡς e multis exemplis haec allata sufficient, quae praebent scholia ad Pacem:

Ad Pac. 1: „ἢ τάχοσ ἢ διὰ ταχέως." Sic V, in R autem praemissum est lemma: „ὡς τάχιστα· ἢ τάχος ἢ διὰ ταχέων." Uterque vitiose, sed propius a vero distat V; nam legendum est: „ὡς τάχος ἢ (= τοῦτ' ἔστι) διὰ ταχέων." Et egregie sic confirmatur Kiehlii coniectura, qui in textu pro

αἶρ', αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ

articulum et ipsam poetae manum restituit scribendo

αἶρ', αἶρε μᾶζαν ὡσ τάχοσ τῷ κανθάρῳ.

Non minus luculentum huiuscemodi errorum exemplum praebet scholion V ad coryphaei verba Pac. 617: „*nunquam antehac audivi Pacem ad Phidiam pertinere*:

ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν,
οὖσα συγγενὴσ ἐκείνου."

Ad haec igitur verba in V est annotatum: „ὡς πρὸς τὸν Φειδίαν οὖν ἡ καλὰ ξόανα ποιοῦσα."

Ubi scribendum est: „πρὸς τὸν Φειδίαν οὖν ὡς καλὰ ξόανα ποιοῦντα." Articulo ἡ aut feminino generi nullus locus.

10) De permutatis pronominibus ἡμεῖς — ὑμεῖς, praepositionibus πρός—πρό aliis.

Exempla pronominum ἡμεῖς et ὑμεῖς in V et in R, ut in aliis codicibus, passim permutatorum afferre inutile duco. Vitio frequentius debetur ἡμεῖς quam ὑμεῖς, neque hoc tamen raro, e. g. in R Vesp. 419 vel 1080.

Neque praepositiones πρός et πρό, περί et παρά, ἀπ- ἐπ- ὑπ-, alias permutatas hic commemorari opus est. Nam non e codicibus sed e contextu singulis locis efficiendum esse — et si hoc agas effici posse — qua praepositione usus sit poeta, omnes philologi qui eo nomine digni sunt probe norunt.

An Plut. 338 — ut hoc utamur — fide codicum standum videtur, mira constantia non intra tonstrinas sed in ipsis tonstrinarum tectis ardeliones garrulos collocantium:

λόγος ἦν ... πολὺς
ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων κτἑ.

Non opinor. Sunt subsimiles litterarum ductus ЄΠΙΤΟΙCΙ et ЄΝΤΟΙCΙ, sed etiamsi plane dissimiles forent, tamen scribendum foret id quod Porson restituit et apud ipsum Aristophanem legitur alibi [1]):

ἐν τοῖσι κουρείοισι.

Iuvat conferre vitium non minus ludicrum e textu Xenophontis [2]), ubi non praepositio corrupta est sed nomen: „ἐπὶ δὲ τοῖς τείχεσιν ... ἐφέστασαν πύλαι". I nunc et hostes arce portis *supra moenia* collocatis! Aliquanto aptius est quod restituit Hartman: ἐφέστασαν πύργοι.

Et Eccl. 397 potiorne Ravennatis ceterorumque codicum videtur auctoritas an usus linguae? Traditum est:

ἔδοξε τοῖς πρυτάνεσι περὶ σωτηρίας
γνώμας καθεῖναι τῆς πόλεως.

---

[1]) Av. 1441.
[2]) Xen. Anab. I 4 § 4.

Demittere scilicet *deliberationem*, fune fortasse de muro vel de rupe Pnycis! Sic Telemachus patri δίφρον non καταθείς sed καθείς in Odysseae codice optimo G metro invito fertur ν 259. Sed ipsas illas lectiones εἰς τὸ βάραθρον χρὴ ... non καθεῖναι sed abicere et deturbare; nostro loco verum vidit Schoemann, vidit Cobet, et quis — admonitus praesertim — non videat: *decreverunt prytanes* γνώμασ προθεῖναι. Et tamen prorsus dissimiles sunt litterae *ΠΡΟ* et *ΚΑ*.

Sed indicandi nunc videntur loci unus et alter, ubi praepositio male lecta graviorum errorum causa extitit.

Av. 167 Pisetaeri sunt verba in R:

ἐκεῖ παρ' ἡμῖν τοὺς πετομένους ἦν ἔρῃ·
τίς ὄρνις οὗτος; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί κτέ.

ubi accusativus τοὺς πετομένους intellegi nequit. Viam emendandi indicat V, qui articulum τοὺς omittit; quo indicio usi in *ΠЄ*-litteris agnoscimus praepositionem $\overset{\epsilon}{\Pi}$ sive περι [1]). Itaque Kockio assensi, qui in litteris -ομένους genitivum proprii alicuius nominis latitare est suspicatus, sic scribamus:

ἐκεῖ παρ' ἡμῖν περὶ <Θε>ογένους ἦν ἔρῃ.

Athenis si de Theogene roges etc. — Qui homo ventosissimus et alibi in ea fabula ridetur. Hic quoque, ut alibi, paradiorthosis effecit ut in codice R vera vitii natura agnosci vix et ne vix quidem posset.

Levior error commissus est Eccl. 1060, ubi iuvenis causas interserens ἔασον — ait —

εἰς ἄφοδον πρώτιστά με
ἐλθόντα θαρρῆσαι πρὸς ἐμαυτόν.

Mancum tamen et imperfectum hoc quoque erit enuntiatum, nisi legamus:

ἐλθόντ' ἀναθαρρῆσαι πρὸς ἐμαυτόν.

Abiit α\ sive ἀνα- in -α.

---

[1]) Sic e. g. in versu mox laudando Eq. 697 codex V habet: πεκόκκυσα.

Idem error irrepsit in Plut. 792, ubi Plutus deus sic uxorem Chremyli alloquitur, si fides codicibus V R ceteris:

ἐμοῦ γὰρ εἰσιόντος εἰς τὴν οἰκίαν
πρώτιστα καὶ βλέψαντος, οὐδὲν ἐκφέρειν
πρεπῶδές ἐστιν.

Quae neque apte expressa neque vera erunt verba, — non enim primum nunc deus intraturus est Chremyli domum, sed illuc rediturus, — nisi abiecta particula inutili καί rescribatur:

πρώτιστ' ἀναβλέψαντος (α\βλέψαντος).

Et tertium eiusdem erroris exemplum ut hic afferatur, in scholio R ad Lys. 384 pro „ἵνα νεάσῃς" legendum est „ἵν' ἀνανεάσῃς", quemadmodum recte in scholio V ad Pac. 861 est exaratum: „οἵ' πάλιἀνν̄εάζων" (οἷον πάλιν ἀνανεάζων).

Contrario vitio ex una littera procrevit praepositio Lys. 1238. *Tam benevoli* — recens a convivio ait is qui in scenam prodit — *tam benevoli eramus omnes convivae, ut nihil non laudaremus et probaremus; quin Telamonem si quis cecinisset ad modos carminis quod est de Clitagora,* — ridicule igitur confundens omnia, — *vel sic*

ἐπηνέσαμεν ἂν καὶ προσεπιωρκήσαμεν.

Absit omen! procul hinc, ubi pax et foedus laeta cena celebrantur, facessite *periuri*! Poeta dederat:

καὶ πρὸς ἀνεκροτήσαμεν.

Interciderunt litterae ἀν pro iterata particula ἄν habitae, et ἐκροτήσαμεν in $\overset{\pi}{\epsilon}$... excrevit.

11) De binis deinceps in textum receptis lectionibus.

Multis locis duae deinceps lectiones in textum sunt receptae. Cuiusmodi error longe facillime agnoscitur Pac. 1099, quem versum talem exhibent V et R:

φράζεο δὴ νῦν μή πώς σε δόλῳ φρένας ἐξαπατήσας
κτἑ.

Erat igitur in archetypo $\overset{\text{νῦν}}{\text{φράζεο δὴ}}$ aut $\overset{\text{δὴ}}{\text{φράζεο νῦν}}$. Quae varietas —

quippe in re incerta, nam utrumvis recte dicitur, — redit e. g. Lys. 941, ubi in R legitur *πρότεινε δὴ τὴν χεῖρα*, in *Γ πρότεινε νῦν τ. χ.*

Plut. 975 sana est codicis V lectio:

ἄκουέ νυν, ἤν μοί τι μειράκιον φίλον.

In textum codicis R irrepsit lectio altera, dein expuncta est, habet enim *ἤννδή*, item A sine punctis *ἤν δή*.

Sic noto Homeri loco *η* 86 codices egregii G F habent *χάλκε(ι)οι μέν*, non minus praestans P *χάλκεοι γάρ*, ceteri invita prisca dictione *χάλκεοι μὲν γάρ*.

Nec non aperta res est Eq. 697, ubi veteres dubitabant verbone *περικοκκῦσαι* an *-κοκκᾶσαι* comicus esset usus. Photius scribit *περιεκόκκασα*, codices V et plerique praebent *-υσα*, in R vero legitur *περιεκόκκαυσα*. Qui trimetri exitus metro repugnans e *περιεκόκκῦσα* (vel *-κᾶσα*) est natus.

Ran. 1276 pro *ὅδιον* ιν V aliisque legitur *ὅσιον* prisco errore. Quid R? habet *ὃς δῖον*, i. e. *ὃσιον*.

Idem obtinet Lys. 45, ubi *κιμβερίκ' ὀρθοστάδια* vocatur tunicarum feminearum pretiosum quoddam genus. Vox aliunde ignota quomodo esset scribenda parum constabat olim, neque nunc constat; nam *κιμμερίκ'* habet codex *Γ*, quod merum videtur sphalma librarii pro littera *β* (u) legentis *μ*, scholia autem habent: „*κιμβερικὰ ἢ κιμβερίνα*." In R vero scriptum est *κιμβερινκ* coniunctis lectionibus ambabus. Archetypum igitur *κιμβεριν̃* aut *κιμβερικ̃* habebat.

Eccl. 317 sic nata est codicis R lectio numeris repugnans *Κοπρέαιος* i. e. *Κοπρᾶιος*.

Et eadem fuit origo nominis proprii *Πεισθεταίρου* Av. 644 etc.; qui vir aut *Πεισέταιρος* dicendus fuit — idque sincerum videtur nomen — aut *Πειθέταιρος*, quod alii verum ducunt; traditam vero nominis formam non admittit lingua. In archetypo fuit *πεισ̓έταιρος* aut *πειθ̓έταιρος*.

Eiusdem farinae est quod R habet Ran. 925. Ubi *ῥήματα ... μορμυρωπά* Aeschylo tribuit codex V, *μορμορωπά* alii, vitiose omnes, nam *μορμοΝωπά* dederat comicus. Sed ceteris vitiosior

est R, qui ambabus lectionibus coniunctis scripsit μορμουρωπά, i. e. μορμῦρωπά vel μορμῦρωπά.

Nec non hinc repetenda est lectio absurda, quam V R ceteri praebent Av. 1656. Herculis, quem Pisetaerus docuit nullum ei esse ius successionis in bona patris Iovis, sunt verba:

τί δ' ἦν ὁ πατὴρ ἐμοὶ διδῷ τὰ χρήματα
νόθῳξ' ἀποθνήσκων.

Verum fortasse lateret, si non servatum extaret in scholiis et apud Harpocrationem: νοθεῖα. Sed unde littera ξ? Est signum diphthongi ει̃ male intellectum. In archetypo erat: νοθῶ(ι)αποθνή(ι)σκων.

Patet in textum facile irrepere potuisse quae *superscripta* essent. Cuius rei recordari iuvabit cum incidemus in locos ubi non singulae litterae sed tota vocabula inter comici verba sunt recepta.

Similibus vitiis inquinati sunt versus multi, in quibus finalis aliqui sonus cum sequentis vocabuli initio confluit. Nonnullis locis errandi causa fuit *crasis*, ut Vesp. 627, ubi V καγκεχόδασιν habet recte perscriptum, — si quidem oculis crasis illa videtur ostendenda, — R vero καικἐγκεχόδασιν, i. e. κἀγκεχόδασιν. Item Av. 792 in R κἄτ' ἀποπαρδὼν pro κἀποπαρδὼν, quem versum V omittit. In archetypo fuit *ΚΑΙΑΠΟ*.

Multo frequentiores sunt loci ubi vitium peperit *elisio*. Plene exarari huiuscemodi voces solebant olim, si sequeretur interpunctio vel spiritus asper vel etiam sine certa causa [1]). E. g. Pac. 137 quod codices V R alii contextu metroque invitis praebent μέλ' ἐάν pro μέλ' ἄν, id unde natum sit vitium statim intellegimus si *ΜΕΛΕΑΝ* in archetypo ἐκ πλήρους scriptum fuisse sumimus.

Similia sunt Pac. 253 in R χρῆσθαι θἀτέρῳ i. e. χρῆσθἀτέρῳ,

[1]) Hinc fit ut infinitis locis legatur in codicibus ἐστιν pro ἐστι (= ἐστ' vel ἐσθ') exaratum. Cuius rei post Bentleium notissimae exempla hic afferri non est opus. — Cf. supra pag. 207, 2.

et Pac. 446 in V τοιαῦταθ' i. e. τοιαῦθ' vel τοιαῦτα. Neque Plut. 59 quemquam detinebit codicis R lectio κακόμετρος:

σοὶ λέγει τοῦτο κοὐκ ἐμοί,

ubi verum praebet V:

σοὶ λέγει τοῦτ', οὐκ ἐμοί.

Agnoscimus hiatum qui nullus erat (*TOYTOOYK*) in R paradiorthosi expletum.

Item in V ἐστ[ὶ τ]ἀγάθ' Plut. 593, πάντ[α τ]ἀγάθ' Plut. 1121; quibus locis verum habet R.

In errorem contrarium incidit V Av. 778: κύμα<τά> τ' ἔσβεσε νήνεμος αἴθρη, et R Lys. 277: ᾤχετ' ὅπλα, ubi articulum et metrum poscit et contextus: ᾤχετο θὤπλα, veri autem vestigium in ipso R servat -τ' non -θ' scriptum [1]).

Correctores igitur elisionis signo superscripto huiuscemodi syllabas notare solebant aut elisis superscribere integras, librarii autem recentiores utramque scribendi rationem coniunctim in textu exhibuerunt passim. Unum etiam addatur exemplum, Thesm. 842—844, ubi in R haec sunt exarata:

καὶ δανείζειν χρήματα τ'· ἢν χρῆν, ἢν δανείσειέ τινι,

... ἀφερεῖσθαι βίᾳ τὰ χρήματα τ', εἰπόντας τἀδί· κτἑ.

Nemo non videt bis scribendum esse χρήματ' [2]). In archetypo erat χρήματα τ' aut χρήματ' τα.

Itaque non coniectura sed certissima est emendatio, qua Elmsley Vesp. 155 verum restituit:

φύλατθ' ὅπως μὴ τὴν βάλανον ἐκτρώξεται,

ubi in V et R est φυλάττεθ', item (vel cum novo vitio φύλαττέ θ') in ceteris codicibus. Singularem numerum requiri, nisi anapaestus testaretur elumbis [3]), testaretur contextus. Olim fuit φύλαττε θ'.

---

[1]) Inter haplographemata igitur hoc mendum fortasse recensendum erat.

[2]) Praeterea εἰ δανείσειεν et ἀφαιρεῖσθαι scribendum esse nemo non videt. Pro ἦν autem Bentley dedit ἦ propter verba sequentia, quae supra omisimus.

[3]) Cf. pag. 207, 2.

12) De verborum ordine perturbato.

Verborum ordo multis locis in R, pluribus in V mutatus est imperite et metro adversante. E. g. in V:

Plut. 132.

τίς οὖν ἐστὶν ὁ παρέχων αὐτῷ τοῦθ'; — ὁδί.

Recte R: *ὁ παρέχων ἐστὶν.*

Plut. 245.

μετρίου γὰρ ἀνδρὸς ἐπέτυχες οὐδὲ πώποτε.

Recte R: *οὐκ ἐπέτυχες πώποτε* [1]).

Vel in R Ach. 91.

καὶ νῦν ἥκοντες ἄγομεν Ψευδαρτάβαν.

Ach. 113.

βασιλεὺς ἡμῖν ὁ μέγας ἀποπέμψει χρυσίον;

Ubi alii codices vera praebent: *ἄγοντες ἥκομεν* et: *ὁ μέγας ἡμῖν.*

Eq. 231.

ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ οὐδεὶς αὐτὸν ἤθελε κτἑ.

Recte V: *αὐτὸν οὐδείς.*

Eq. 792.

καὶ πῶς σὺ φιλεῖς ὁρῶν οἰκοῦντα τοῦτον ἐν ταῖς πιθάκναισι.

Recte V: *ὃς τοῦτον ὁρῶν οἰκοῦντ'.*

Thesm. 480.

διεκόρευσεν ἑπτέτιν οὖσαν.

Recte Pollux: *οὖσαν ἑπτέτιν.*

Thesm. 660.

καὶ διασκοπεῖν σιωπῇ· μόνον δὲ χρὴ πανταχῇ κτἑ.

Cuius tetrametri exitum scribendum esse *πανταχῇ· μόνον δὲ χρὴ* usque ad Kusterum editores latuit.

Thesm. 797.

ζητεῖ τὸ κακὸν τεθεᾶσθαι.

Ubi optime correctum est: *τὸ κακὸν ζητεῖτε θεᾶσθαι*, nam neque 3ae personae sing. locus est neque tempori perfecto.

---

[1]) Cf. pag. 206, 3.

Eccl. 290 haec praebet R:

ὃς ἂν
μὴ πρῲ πάνυ τοῦ κνέφους
ἥκῃ κεκονιμένος
βλέπων ὑπότριμμα
στέργων σκοροδάλμῃ
μὴ δώσειν τὸ τριώβολον.

Idem verborum ordo est in ceteris codicibus; numeros restituit Porson scribendo:

στέργων σκοροδάλμῃ,
βλέπων ὑπότριμμα, μὴ
δώσειν τὸ τριώβολον.

Plut. 286 in R est:

ὄντως γὰρ ἔστι πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν εἶναι.

Recte V: ἡμῖν ἅπασιν. Simili vitio R laborat Lys. 124: ἀφεκτέα τοίνυν ἡμῖν ἐστὶν, ubi Bentley restituit ἐστὶν ἡμῖν. Cf. etiam ibid. vs. 705: τοῦ σκέλους λαβὼν ὑμᾶς τις, ubi Γ recte ὑμᾶς λαβών.

Neque desunt loci, ubi eiusmodi vitio et V laborat et R et ceteri omnes aut plerique. E. g.:

Ach. 341.

τοὺς νῦν μοι λίθους χαμᾶζε πρῶτον ἐξεράσατε.

Ach. 636.

πρότερον δ' ὑμᾶς οἱ πρέσβεις ἀπὸ τῶν πόλεων ἐξαπατῶντες
πρῶτον μὲν ἰοστεφάνους ἐκάλουν κτἑ.

Bentley restituit numeros: τοὺς λίθους νύν μοι et: ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ πρέσβεις.

Av. 515.

ἀετὸν ἔστηκεν ὄρνιν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.

Ubi aut ὄρνιν ἔστηκεν ἔχων aut ἔστηκεν ἔχων ὄρνιν scripsit poeta.

Av. 604.

ἦν εὖ πράττωσ', οὐχ ὑγίεια μεγάλη τοῦτ' ἐστί; σάφ' ἴσθι κτἑ.

Vitium hic crepat ὑγίειᾱ, turbata autem esse verba sensit

Hirschig; quae fortasse — nisi displiceat caesura in pede 7° apud comicum rara [1]) — sic sunt ordinanda:

ἦν εὖ πράττωσ', οὐ τοῦτ' αὐτοῖς μεγάλη ἐσθ' ὑγίεια; σάφ' ἴσθι.

Av. 609.

οὐκ οἶσθ' ὅτι πέντε γενεὰς ἀνδρῶν ζώει λακέρυζα κορώνη;

Ubi Bentleio debetur vera lectio *πέντ' ἀνδρῶν γενεάς*.

Av. 1710.

ἀστὴρ ἔλαμψεν ἰδεῖν χρυσαυγεῖ δόμῳ.

Scribendum *ἰδεῖν ἔλαμψε*.

Ran. 1474 in R sunt:

αἴσχιστον ἔργον εἰργασμένος προσβλέπεις,

paulo meliora — licet deteriora etiam videantur — in V, qui post *αἴσχιστον* habet *μ'* invitis numeris. In aliis codicibus perperam haec sic sunt mutata:

αἴσχιστον ἔργον μ' ἐργασάμενος προσβλέπεις,

nec nisi in paucis extat tragicus [2]) qui requiritur trimeter:

αἴσχιστον ἔργον προσβλέπεις μ' εἰργασμένος.

Plut. 583 in R scripta sunt:

εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ἂν ποιῶν αὐτὸς τὸν ὀλυμπικὸν ἀγῶνα κτἑ.,

peiora etiam in V, hic enim omittit particulam *ἄν*. Verum, sed novo vitio infectum, praebet A:

πῶς ἂν ποιῶν τὸν ὀλυμπι[α]κὸν αὐτὸς ἀγῶνα.

Cuiusmodi errores in communi nostrorum codicum archetypo minime raros fuisse postquam intelleximus, nimis audaces videri nequeunt hae coniecturae:

Av. 1247.

μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος | καταιθαλώσω.

Iovi minatur Pisetaerus se et ipsius et Amphionis aedes incensurum; sed Amphionis nomen hinc alienum. Comicus dederat:

μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ ἀμφικίονας δόμους [3]) *| καταιθαλώσω.*

---

[1]) Cf. pag. 220, 1.
[2]) Cf. pag. 208, 1.
[3]) Non indicata igitur *crasi* quam dicimus (*κἀμφ.*). Cf. pag. 305.

Quorum verborum ordo postquam perturbatus est, litterae *καὶ δόμους ἀμφικίονας* abierunt in id quod praebet textus traditus.

Thesm. 80.

ἐπεὶ τρίτη ἐστί, Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Pervetustum hoc esse vitium testantur scholia [1]), est tamen vitium. Poeta scripsit

ἐπεί ἐσθ' ἑορτή,

sed litterae ΕΠΕΙΕCΤΙΕΟΡΤΗ cum ita essent turbatae ut fierent ΕΠΕΙΕΟΡΤΗΕCΤΙ, male sunt lectae.

Eiusdem generis errore in R laborant Dicaeopolidis ad Euripidem verba Ach. 410 sqq.:

ἀναβάδην ποιεῖς,
ἐξὸν καταβάδην; οὐκ ἐτὸς πτοχους μονους ποιεῖς [2]).
ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι' ἐκ τραγῳδίας ἔχεις,
ἐσθῆτ' ἐλεινήν; οὐκ ἐτὸς πτωχοὺς ποιεῖς.

Manifeste haec corrupta; vitium autem cum vitium, ut assolet, genuisset, ceteri codices in secundo versu dederunt *πτωχούς*, in quarto *χωλούς*, invito contextu, qui priore loco poscit *χωλούς*, posteriore *πτωχούς*. Veri autem indicium videtur servare expunctum illud adiectivum *μόνους*, illic enim in archetypo fuisse $\overset{\chi\omega\lambda o\acute{\upsilon}\varsigma}{\pi\tau\omega\chi o\acute{\upsilon}\varsigma}$.

Qui error deprehensus valet aliquid ad simile vitium agnoscendum et corrigendum Av. 792—796. In V R ceteris codicibus [3]) haec sunt tradita:

790 *εἴ τε Πατροκλείδης τις ὑμῶν τυγχάνει χεζητιῶν,*
οὐκ ἂν ἐξίδισεν εἰς θοιμάτιον, ἀλλ' ἀνέπτατο,
κἀποπαρδὼν [4]) *κἀναπνεύσας αὖθις αὖ κατέπτατο.*
εἴ τε μοιχεύων τις ὑμῶν ἐστιν ὅστις τυγχάνει,

---

[1]) Cf. sub 18).

[2]) Supra correcta sunt vitia quaedam quae hinc sunt aliena; nam revera R haec habet: *ἐξὸν καταβήη: οὐκετὸσ πτοχουσ μονουσ ποιισ'*

[3]) Sed versus 792 in V propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον* est omissus.

[4]) *κᾆτ' ἀποπαρδὼν* R, cf. pag. 305.

κᾆθ' ὁρᾷ τὸν ἄνδρα τῆς γυναικὸς ἐν βουλευτικῷ,
οὗτοσ ἂν πάλιν παρ' ἡμῶν πτερυγίσας ἀνέπτατο,
εἶτα βινήσας ἐκεῖθεν αὖθις αὖ καθέζετο.

Ubi non solum tralaticio errore [1]) -πτατο pro -πτετο scriptum est ter, sed praeterea vitiose in vs. 796 dictum est ἐκεῖθεν ... καθέζετο. Ibi poetam dedisse κατέπτετο sensit Meineke; praeterea in versum 792 recipiatur illud καθέζετο, quod vs. 796 molestum erat, ibi vero est aptissimum.

13) De turbato ordine versuum.

Locis quos modo tetigimus vocabula quaedam locum inter se permutarunt. Multo magis nocet ipsorum versuum ordo perturbatus. Quod neque in V neque in R frequens est vitium, solet autem verus ordo eiusmodi locis a correctore indicari. Nonnulli tamen versus in cunctis codicibus praepostere sunt collocati, cuiusmodi errores e communi fonte fluxerunt.

Lys. 1272—1299 (1295—1321) et 1300—1321 (1273—1294) ordine inverso in R ceterisque codicibus sunt collocati; sic autem et finis fabulae displicet adeo abruptus ut aliquid ibi deesse nemo non sentiat, et magis etiam Laco novum carmen instituens postquam abire coeperunt cuncti a Lysistrata iussi. Versus igitur viginti duo — qui archetypi [2]) paginam implevisse videntur — in locum alienum aberrarunt.

Plut. 771 sqq. non minus apertus est error. Nam novi actus prima verba in textu tradito haec sunt: καὶ προσκυνῶ γε. Versus 771—781 post vs. 788 olim collocati fuisse videntur, unus autem ad minimum trimeter intercidisse.

Simplicior est res — de *uno* enim versu agitur — Plut. 805*:

οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμα δή [3]).

---

[1]) Cf. sub 17).

[2]) Non patrem dicimus codicis R, sed priscum illud exemplar, unde omnes nostri codices fluxerunt.

[3]) Melius Ald. πρᾶγμά τι, idque legit scholiasta.

Qui illo loco, ubi in codicibus legitur, molestus est, itaque dudum in infamiam incidit, nam in scholiis V legitur: „ἀδιανόητος ὁ ἴαμβος", iamque in editionibus ne numerari quidem solet; sed post versum 818 collocatus, in fine longioris ῥήσεως, aptissimus est. Veri indicium habet altera pars scholii: „ἢ πρὸς τὰ ἄνω (vs. 803)· καὶ ταῦτα μηδὲν ἐξενεγκόντ' οἴκοθεν, οὕτω γὰρ ἡδὺ πρᾶγμά ἐστι τὸ πλουτεῖν". Quamquam non ille quem scholion indicat respicitur versus, sed proximus (vs. 802):

ὡς ἡδὺ πράττειν, ὦνδρες, ἔστ' εὐδαιμόνως.

In fine narrationis servus (ἀριστοφανικῶς πάνυ) ad prima sua verba redit.

Etiam versus 897 eiusdem fabulae aberravit in locum alienum. In textu tradito Carioni roganti:

κακόδαιμον, ὀσφραίνει τι;

respondetur:

τοῦ ψύχους γ' ἴσως·
ἐπεὶ τοιοῦτόν γ' ἀμπέχεται τριβώνιον.

Quae vix et ne vix quidem possunt explicari. Sed qui hoc loco molestissimus est versus, scribatur post 957:

ἰδὼν γὰρ αὐτὸν γνώσεται
ὅτι ἔστ' ἐκείνου τοῦ πονηροῦ κόμματος,
<ἐπεὶ τοιοῦτόν γ' ἀμπέχεται τριβώνιον>

et utilissimus fit ad explendum enuntiatum, quod sine eo erat mancum atque elumbe; indicari enim debuit quo indicio usus balneator hominem scelestum suo statim pretio aestimaturus esset. Vitii autem causam ostendit R, in quo *paginae primus versus* est 897. Omissus igitur olim, dein in margine superiore suppletus, mox pro paginae primo habitus est.

14) De verbis vulgatis loco rariorum scriptis.

Nunc dicendum est aliquid de errorum quodam genere, cuius certi fines constitui non possunt. Quisquis non satis intellegit quae excribit, verbis exquisitis vulgata, nominibus rarioribus quotidiana substituere solet imprudens. Sic in Argumento

Acharnensium fabulae *Δικαιόπολιν ὁρῶντες ... κατακελεύσειν ὁρμῶσιν* dedit librarius codicis R de contextu securus, cum deberet *καταλεύσειν* vel potius *καταλεῦσαι*.

Pacis autem versum 711 *τόπον διδασκαλικόν* haud immerito vocaveris. Ubi in V R recte exaratum est:

ἆρ' ἂν βλαβῆναι διὰ χρόνου τί σοι δοκῶ,
ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, τῆς Ὀπώρας κατελάσας;

recte etiam adscriptum est in R „*ἀντὶ τοῦ συνουσιάσας*", nec non verbi vis apparet in scholio V, licet absurdo emblemate, quod cancellis significabo, id sit deturpatum: „*ὅτι οἱ [διὰ χρόνου] ἐσθίοντες ὀπώραν πολλὴν βλάπτονται, καὶ οἱ συνουσιάζοντες συνεχῶς.*" Sed corrector — corrector inquam — codicis V, is ipse qui scholia adscripsit, participium *κατελάσας* cum non intellegeret, mutavit in *κατεγέλασας* [1]). Quod autem admodum est notabile: apud Aelianum, qui hunc locum Aristophaneum, ut alios, insulse est imitatus, in epistola quam scribit Dercylus Oporae (Ep. 7) legitur: „*τῆς Ὀπώρας οὖν καταγελάσας τί ἀδικῶ;*" Num. quid igitur absurdum hoc vitium legebatur etiam in Pacis fabulae exemplari, quo utebatur Aelianus? Non id credibile: tam plumbeus non erat rhetor Praenestinus, ut sincerus videri ei posset eiusmodi trimeter, neque *irridendi* verbum in contextum ipsius verborum quadrat; sed optimo iure Kuster Aeliano restituit *κατελάσας* [1]). Aut igitur bis natus est hic error, aut ex altero opere in alterum est invectus a sciolo, qui nesciret quid aera distarent lupinis.

Simile quid accidit Ran. 775; quamquam V et R vitii ibi sunt immunes, praebent enim:

οἱ δ' ἀκροώμενοι
τῶν ἀντιλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στροφῶν
ὑπερεμάνησαν,

et vox palaestrica *λυγισμῶν* in V recte explicatur: „*καμπτῶν* (l. *καμπῶν*), *παραλογισμῶν*". Sed in sequioribus legitur *λογισμῶν καὶ στροφῶν*.

---

[1]) Item Cobet Hyperid.[2] pag. 28 sq.

Item Nub. 994.

ἄλλο τε μηδὲν
αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅ τι τῆς αἰδοῦς μέλλει τἄγαλμ' ἀναπλήσειν.

Verum hic quoque servarunt V et R, nisi quod μέλλεις habent ambo et ἄγαλμ' V omisso articulo. Recentior vero aliquis librarius vel grammaticus verbum ἀναπιμπλάναι *polluendi* sensu adhibitum non norat, ἄγαλμα *fingere* quid esset sciebat: nostro igitur loco scripsit ἀναπλάσειν aut ἀναπλάσσειν, idque verbum nimis diu obsedit editiones et coniecturas provocavit inutiles.

Ach. 85.

καὶ παρετίθετ' ἡμῖν ὀπτοὺς
ἐκ κριβάνου βοῦς.

Sic R. Verum est παρετίθει θ' [1]) ἡμῖν ὁλοὺς | ἐκ κριβάνου βοῦς, sed integros boves in clibano coctos fingere sibi non potuit homo fortasse frugalior, cui ignoti essent persici apparatus.

Av. 19.

τὼ δ' οὐκ ἄρ' ἤστην οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν.

Sic V et R, sed verum esse ἦστην *norant* cum huius loci contextus docet tum quae alibi leguntur οὐδὲν οἶδε πλὴν (Ran. 740), οὐδὲν ἦδει πλὴν (Soph. Phil. 1010), et sic interpres quidam in scholiis.

Thesm. 53.

κάμπτει δὲ νέας ἀσπίδας ἐπῶν.

Verum et duce metro inveniri potuit et praebet Suidas:

ἀψῖδας.

Thesm. 122.

διανεύματα χαρίτων.

Verum legit scholiasta, qui adscripsit „ὀρχήματα". Hinc Bentley restituit δινεύματα.

Thesm. 704.

οἷον ὑμῶν ἐξάρξω τὴν ἄγαν αὐθαδίαν.

Scribendum est ἐξαράξω vel potius 3ª pers. ἐξαράξει (Bentley).

Thesm. 834.

προεδρίαν τ' αὐτῇ δίδοσθαι τηνίοισι καὶ σκίροις.

---

[1]) Alii malunt παρετίθει δ' vel παρατιθεὶς.

Librarius allia Tenia norat fortasse, *Steniorum* sollemne prorsus ignorabat, itaque accedente similitudine litterarum ϛ et τ omisit sigma; quam litteram praebet scholion.

Thesm. 910.

ἐγὼ δὲ Μενέλαον· ὅσα γ' ἐκ τῶν ἀφύων.

Et prior pars huius versus gravius est affecta, et ἀφύων aperte est vitiosum, superest autem id quod metrum et contextus flagitant ἰφύων apud Suidam et in scholiis. Poeta videtur dedisse:

ἐγὼ δὲ Μενέλεῴ σε τῷ ἐκ τῶν ἰφύων.

Thesm. 1041.

πολυδάκρυτον Ἄιδα γόον φεύγουσαν.

Egregia est Musgravii emendatio: φλέγουσαν.

Thesm. 1047.

ἰώ [μοι] μοίρας ἀνέτικτε δαίμων [1]).

Non minus praestans est Zanettii correctio: ἄτεγκτε.

Thesm. 1174.

πρῶτον μὲν οὖν δίελθε καὶ ἀνακόλπασον.

Optime ἀνακάλπασον Hermann, coniectura sagaci rarissimum hoc *saltandi* verbum restituens. Quam coniecturam confirmavit lexici Photii pars nuper reperta, ubi inter poetas, qui verbo ἀνακαλπάζειν usi sint, commemoratur Aristophanes. Librario nostro fraudem fecit notior vox κόλπος.

Minoris momenti nec tamen minus apertus est huiuscemodi error Plut. 1085, ubi R haec praebet:

οὔνεκά ποτε ἐστί σοι καὶ τὴν τρύγα.

Verum superest in V:

συνεκποτέ'.

Litteras sensu carentes in V et in R hic illic videre est; e. g. V Pac. hypoth. in fine: ἡνίκα ἑρμῆν λοιοκρότης. Quae quomodo legenda sint non liquet.

Ibidem in argumento metrico ingentibus scilicet litteris eleganter exarato cum aliae reperiuntur sordes tum haec: τὸ μέλ

---

[1]) Cf. pag. 289.

βαδ' ἐπένευσε. Quae incantationi magicae similiora quam versui ab Aristophane grammatico — cui tribuuntur ista! — composito.

R Lys. hypoth.: τὰς μὲν ἐξωπίους ἐμπριλὰς καταλειποῦσα ὀπίσω. Ubi verum videtur τὰς μὲν ἔξωθεν παρούσας ὁμήρους τινὰς καταλιπούσας ἀποπέμπει ὀπίσω.

Etiam Vesp. 1085 huc facit, ubi οἱ μαραθωνομάχοι priscam illam victoriam his verbis celebrant, si codici R credimus:

ἀλλ' ὅμως ἐπαυσάμεσθα ξὺν θεοῖς πρὸς ἑσπέρας.

Praeclarum sane facinus, et dignum quod poetarum scriptorumque laudibus in caelum extolleretur! Quid V? Etiam insulsius quid, licet recte scriptum praebeat πρὸς ἐ(ἑ)σπέραν:

ἀλλ' ὅμως ἐσωζόμεσθα ξὺν θεοῖς πρὸς ἑσπέραν.

In deterioribus est ἀπεωσάμεθα, non male, si sinerent numeri; sincera denique lectio extat in Anecd. Oxon.:

ἀλλ' ὅμως ἐωσάμεσθα ξὺν θεοῖς πρὸς ἑσπέραν.

Neque codicum V et R archetypum commune huiuscemodi vitiis intactum fuisse apparet e. g. Vesp. 668, ubi Philocleon τοῖς ῥηματίοις περιπεμφθείς reos absolvere in utroque dicitur. Exquisitum verbum περιπέττειν librariis mature fraudem fecisse videmus.

Idem testatur Plut. 325, ubi V et R rusticum sodales ideo laudantem faciunt quod

συντεταγμένως κοὐ κατεβλακευμένως [1])

venerint. Instructa scilicet acie? Immo συντεταμένως, quod est in codice A.

Vel Nub. 409, ubi Strepsiades perabsurde et invito metro, si credimus codicibus V et R:

ὤπτων (ὀπτῶν) γαστέρα τοῖς συγγενέσιν κᾆτ' οὐκ ἔσχον ἀμελήσας.

Verum est ἔσχων, *incidebam*, idque legerunt qui scripsere scholia.

Qui error deprensus utilis est ad similem errorem suo pretio aestimandum Lys. 281, ubi in R Γ est:

---

[1]) καταβεβλακευμένως V.

οὕτω δ' [1]) ἐπολιόρκησ' ἐγὼ τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον ὅμως,

verum habet B: ὠμῶς, *acriter*.

Et e scholiis ut proferatur similis error, ad Lys. 62 in R haec sunt adscripta: „εἰκότως, ἐπεὶ ὁ δῆμος τῶν Ἀχαρνέων ἐτετίμητο, διὰ τοῦτο τὰς ἐκεῖθεν προσδοκᾷ γυναῖκας". Ubi legendum esse ἐτέτμητο et contextus docet et rerum in bello gestarum memoria.

Nomen proprium in V et R male est habitum Nub. 553:

Εὔπολις μὲν τὸν Μακαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν.

Sic R, item (-κὰν) V. Aut τοὺς μακαρίους aut nihil cogitavit qui ita corrupit numeros Eupolideos; sincera nominis forma Μαρικᾶς aliunde cognita.

Nub. 349.

ἄγριόν τινα ... οἷόνπερ τὸν Ξενοφῶντα V pro -φάντου.

Lys. 679.

ἔγραψε φιλίππω(ι) Γ pro ἔγραψ' ἐφ' ἵππων.

Sic tum, cum omnium in ore erat nomen ducis strenui, in schedis quas typothetae mihi mittebant a prelo recentes Aristophanis editorem *Bothe* saepius factum vidi *Botha*.

Eccl. 605.

οὐδεὶς οὐδὲν πνεύματι δράσει Γ pro πενίᾳ.

Non ΠϵNI sed $\overline{\Pi NI}$ videre sibi visus est librarius nutans. Idem praebet codicis Γ simia B.

Qualia textui gravius nocere non solent, egregie enim absurda sic nascuntur vitia, quae a quovis lectore paulo acutiore facile agnoscuntur, neque difficilis est plerorumque huiuscemodi locorum correctio. Tum demum instat periculum, cum pro verbis sinceris scribuntur vitiosa quidem, sed quae speciem certe habeant et numeris satis congruant. Sic in V R ceteris Pac. 999 sqq. haec sunt:

καὶ τὴν ἀγορὰν ἡμῖν ἀγαθῶν
ἐμπλησθῆναι μεγάλων· σκορόδων,
σικύων κτἑ.

---

[1]) Leg. οὕτως (Brunck) aut οὕτω 'ξεπ. (Dobree).

κἀκ Βοιωτῶν γε φέροντας ἰδεῖν
χῆνας κτἑ.

Ubi scribendum esse id quod restituit Hamaker ἐκ Μεγάρων testatur quod oppositum est καὶ ἐκ Βοιωτῶν γε. Et legit Megarorum nomen ipse scholiasta.

Eccl. 979.

τίνα;
οὐ τὸν σὲ βινοῦνθ', ὃν σὺ προσδοκᾷς ἴσως.

Contextus et hoc loco poscit *nomen proprium*: Bentley οὐ τὸν Σεβῖνον coll. loco consimili Ran. 427.

Vesp. 217.

νὴ τὸν Δί' ὀψὲ γὰρ ἀνεστήκασι νῦν.

Leg. ὀψέ τἄρ' (Lenting). Passim et alibi γάρ est scriptum pro τἄρ' (τοι ἄρα). Hoc loco per paradiorthosin in γοῦν mutatum habent codices sequiores.

Vesp. 651.

ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

Leg. ἐντεταμυῖαν, quae est egregia Reiskii emendatio.

Pac. 1134.

ἐκκέας τῶν ξύλων ἅττ' ἂν ᾖ
δανότατα τοῦ θέρους ἐκπεπρισμένα.

Sic V et R claudicante metro; cui vitio ut mederetur sciolus aliquis, substituit verbum prorsus absurdum quod legitur in sequioribus: ἐκπεπιεσμένα. Aliquanto sagacius Bothe — κράτιστος ὢν αὐτὸς ἑαυτοῦ καὶ πλῆθος ἁμαρτιῶν καλύπτων — restituit verum: ἐκπεπρ<εμν>ισμένων vel potius -να.

Av. 465.

μὰ Δί' ἀλλὰ λέγειν ζητῶ τί πάλαι μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι.

Pro τί scribendumne τι et ferendum iteratum τι? Immo legendum est τρίπαλαι, quod scripsit Cobet coll. Eq. 1153.

Lys. 43.

καθήμεθ' ἐξηνθισμέναι
κροκωτὰ φοροῦσαι καὶ κεκαλλωπισμέναι.

Sic R. Levius vitium e Γ est correctum: κροκωτοφοροῦσαι, gravius correxit Bentley, e Clementis enim Alexandrini quodam

loco revocavit id quod unum fert contextus et dictio comica: ἐξανθισμέναι. *Flavis capillis croceaque veste sedemus,* comtae atque ornatae.

Lys. 553.

κᾆτ' ἐντέξῃ τέτανον τερπνὸν κτέ.

Hirschig verum restituit ἐνστάξῃ, quod non multum in minuscula praesertim litteratura discrepat a litteris traditis.

Ran. 1073. *Olim* — Aeschylus ait — *remiges*

οὐκ ἠπίστανθ' ἁλλ' ἢ μᾶζαν καλέσαι καὶ ῥυππαπαῖ εἰπεῖν.

Probabiliter vHerwerden κάψαι. — *At nunc* — pergit Aeschylus — *urbs nostra*

ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων,
[ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί]
λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

Emblema infra suo loco commemorabimus; praeterea vitio laborant verba ultima. Nam nemo tam debilis vel tardus est quin *ferre* tamen possit *facem,* sed de λαμπαδοδρομίᾳ agitur; poeta dederat

λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε τρέχειν.

Quod restituit Blaydes, collato Vesparum versu 1203, ubi exquisitior haec locutio incolumis, quippe metro defensa, permansit: ἐδιώκαθές ποτ' ἢ λαγών, ἢ λαμπάδα | ἔδραμες.

Ecclesiazusarum fabulae in R exordium est:

ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου
κάλλιστ' ἐν εὐστόχοισιν ἐξητημένον.

In Γ legitur εὐσκόποισιν, quod verum videtur; sed ultimum verbum etiam in Γ est ἐξητημένον. Quod qui scripsit, aut nihil volebat aut ἐξαιτεῖν cogitabat; nempe non agnorat exquisitius quo Praxagora utitur verbum ἐξαρτᾶν. Restituit olim Palmerius: ἐξηρτημένον. Lucernam, quam e domus pariete *suspendit,* late resplendere dicit muliercula παρατραγῳδοῦσα.

Eccl. 64. *Colorem virilem ut cutis mea indueret,* alia ait mulier,

ἐχλιαινόμην ἑστῶσα πρὸς τὸν ἥλιον.

At plectuntur sic numeri (ī) et sententia, non enim ut *foveretur* sed ut *fusca* magis fieret solis radiis se exponebat. In Bekkeri Anecdotis sinceram lectionem invenit Bergk: ἐχραινόμην.

Plut. 521 idem verum vidit, quod etiam Kappeyne nostras invenit. Quo loco Paupertas rogat: *si omnes divites erunt, unde habebitis famulos?* Respondet Chremylus: *ememus eos!* Cui illa: *at quis venditurus est?* Tum Chremylus rursus:

κερδαίνειν βουλόμενός τις
ἔμπορος ἥκων ἐκ Θετταλίας, παρὰ πλείστων ἀνδραποδιστῶν.

Scribatur παρὰ ληστῶν, quod mature corruptum esse testantur scholia. Nam e verbis: „διαβάλλονται δὲ οἱ Θετταλοὶ ὡς ἀνδρα-„ποδισταὶ καὶ αἰσχροκερδεῖς καὶ ἄπιστοι· ἀεὶ γὰρ τὰ Θετταλῶν „ἄπιστα, ἡ παροιμία φησίν· καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἰνοῖ· πολλοὶ παρῆ-„σαν, ἀλλ' ἄπιστοι Θετταλοί" optimo iure Hemsterhuis effecit fuisse olim lectionem alteram παρ' ἀπίστων, quam pepererunt litterae male lectae: *ΠΑΡΑΛΗΙΣΤΩΝ — ΠΑΡΑΑΠΙΣΤΩΝ.* Verum autem etiamnunc superest in deteriorum „glossemate": „ληστῶν, τῶν τοὺς ἀνθρώπους δεσμούντων" et in aliorum scholiorum verbis: „διεβάλλοντο ... οἱ Θετταλοὶ ὡς χαίροντες ... „ληστείαις. — τὸ τῶν Θετταλῶν γένος ληστείαις ἐχρῆτο".

Vitiosa autem lectio πλείστων quomodo sit nata luculenter docet V, in quo praepositio παρὰ noto signo est scripta: ππλει-στων abiit in ππλειστων.

Plut. 1011. *Iuvenis iste,* — anicula queritur — *qui iam me aspernatur, olim si moestam videret,*

νιτάριον ἂν καὶ βάτιον ὑπεκορίζετο.

Sic R, in quo „εἴδη φυτῶν" est adnotatum. Asperior quam pro verbulis amatoriis videtur *spinula* nec satis nosti *nitarium* herbam? meliora fortasse dabit V. Qui versum una littera, id est vitio metrico, auctiorem praebet:

νιτάριον γ' ἄν.

At in margine quales exhibet eruditionis thesauros! „Symmachus dicit Nitarium ob mollitiem carpi, item Batum" — aliaque in scholiis leguntur quae eiusdem sunt notae. Prius vocabulum in integrum restituit Faber: νηττάριον, alterum

autem animalculum φάττιον scribebat Bentley, — sic tamen plura metri causa mutanda erant [1]), — φάβιον Meineke, quod verum videtur. Apage igitur spinulas illas et molles homines ceteraque librariorum vel interpretum somnia: poeta dederat:

νηττάριον ἂν καὶ φάβιον ὑπεκορίζετο,

anaticulam suam et columbulam vocare me solebat.

15) De interpretamentis in textum receptis.

Venimus ad *interpretamenta*. Quae in scriptorum pedestrium opera passim irrepsisse notior est res quam quae hic demonstretur. Nam vocibus rarioribus, locutionibus minus vulgatis, nominibus propriis passim verba, quibus magistri discipulis ea explicabant, superscripta esse, mox in ipsum textum recepta, nemo nescit. Apud poetas quominus libere haec pestis grassaretur obstabat metrum; quamquam ne is quidem liber longe antiquissimus, in quo Timothei *Persarum* legitur pars posterior, eiusmodi vitiis vacat, habet enim: *Πέρσης στρατὸς [βάρβαρος] ἐπισπέρχων* (vs. 98). Cuiusmodi errores si quem locum poeticum invaserunt, multo magis illic sunt metuendi quam in operibus quae prosa oratione sunt concepta.

Nam raro fit ut omni cura numerorum ipsiusque numeri syllabarum abiecta librarius medio versui glossema tam impudenter inserat quam in V factum est Ran. 625:

μὴ δῆτ' ἔμοιγ' οὕτως· [ἄνευ τιμῆς] βασάνιζ' ἀπαγαγών.

Ubi sincera — quam praebet R — haec est lectio:

μὴ δῆτ' ἔμοιγ'· οὕτω δὲ βασάνιζ' ἀπαγαγών. ἄνευ τιμῆς

Habebat igitur codicis V pater vel avus atavusve: οὕτω δὲ. *Sic*, i. e. *nullo pretio persoluto*.

Simile mendum in R est Pac. 275, ubi colloquuntur Belli deus et eius famulus:

οὐκοῦν ... μέτει
ἀνύσας τι; — [χωρῶ] ταῦτ' ὦ δέσποθ'. — ἦκέ νυν ταχύ.

---

[1]) Cf. pag. 206, 3.

Verbum χωρῶ, quo caret V, est vocis ταῦτα interpretamentum; erat igitur olim: ταῦτ᾽ ὦ δέσποτα.

In V R ceteris codicibus eiusmodi error obtinet Av. 388:

καὶ τὸ δόρυ χρὴ [τὸν ὀβελίσκον]
περιπατεῖν ἔχοντας ἡμᾶς.

Item Av. 523:

οὕτως ὑμᾶς πάντες πρότερον μεγάλους ἁγίους τ᾽ ἐνόμιζον,
νῦν δ᾽ ἀνδράποδα. ἠλιθίους. μανᾶς.

Ubi vitium cum versus antistrophus arguit, tum diaeresis post primam dipodiam neglecta; verum restituit criticus qui scripsit:

νῦν δ᾽ <αὖ> μανᾶς.

ἀνδράποδα. ἠλιθίους

Olim fuit μανᾶς.

Originis vestigium servat etiamnunc ἀνδράποδα vocabulum plene perscriptum.

Ran. 437 in R est:

αἶροι ἂν αὖθις ὦ παῖ [τα στρώματα].

Dubiane res videtur? Non opinor; inspiciamus tamen codicem V. Ubi ita haec sunt exarata:

αἶροι᾽ ἂν αὖθις ὦ παῖ: τὰ στρ μτ ῶ δη(λον)οτι

Ratione inversa Ran. 113 ope codicis R corrigi potest eiusmodi error codicis V, qui haec habet:

πορνεῖ᾽. ἀναπαύλας. ἐκτροπάς. κρήνας. ὁ δὴ κα-
πηλίδας: —
πόλεις. διαίτας. πανδοκευτρίας. ὅπου
κόρεις ὀλίγιστοι.

In R non legitur καπηλίδας, est autem illud vocabulum, quod primo versui adhaeret, interpretamentum vocis πανδοκευτρίας in versu sequenti usurpatae. Praeterea non ὁ δὴ sed ὁδοὺς scribere debebat librarius V, quem signum syllabae -ους decepit.

Gemellus error in V R est Nub. 1428:

ὡς τοὺς πατέρας ἀμύνεται καίτοι τι διαφέρουσιν [οὐδέν]
ἡμῶν ἐκεῖνοι.

Etiam Plut. 676 certa res est:

ἔπειτ᾽ ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα [τοῦ θεοῦ].

Nec minus apertum — certe postquam Bentley indicavit — est vitium Lys. 799:

βούλομαί σε, γραῦ, κύσαι...
κἀνατείνας [τὸ σκέλος] λακτίσαι.
τὸ σκέλος

Olim igitur fuit ἀνατείνας. Scholion „τὸ σκέλος ἢ τὸ αἰδοῖον" et originem emblematis indicat, et testatur tempus fuisse quo textus nondum eo esset onustus.

Similia sunt Ach. 1210:

τάλας ἐγὼ [τῆς ἐν μάχῃ]
ξυμβολῆς βαρείας.

Thesm. 460:

κομψότερον ἔτ' [ἢ τὸ πρότερον] ἀναπέφηνεν.

Nec non huc referendi videntur loci gemelli Lys. 974 sq.:

μεγάλῳ τυφῷ [καὶ πρηστῆρι]
[ξυστρέψας καὶ] ξυγγογγυλίσασ

et Thesm. 61:

γογγυλίσας [καὶ συστρέψας].

Utrobique restituendum esse ξυγγογγύλας docuit Enger, sed praeterea delenda esse interpretamenta sensit Cobet. Olim igitur Lysistratae l. l. erant haec:

πρηστῆρι ξυστρέψας
μεγάλῳ τυφῷ ξυγγογγύλας

et Thesm. l. l.:

ξυστρέψας
ξυγγογγύλας.

Sed rariores sunt versus ita ultra fines legitimos producti recepto emblemate. Sola *pronomina* frequentius metro vim inferunt, e. g. Eq. 14, ubi V haec habet:

ἵνα σοι μὴ μάχωμαι: μὰ τὸν ἀπολλῶ 'γὼ μὲν οὔ,

recte vero R: ἵνα μὴ μάχωμαι κτἑ.

Vel Eq. 339, ubi vitiose R:

ἀλλ' αὐτὸ περὶ τοῦ πρότερος εἰπεῖν πρωτα δαι μαχουμαι σοι,

V autem, qui in fine recte omittit pronomen σοι, in similem errorem incidit versus initio:

ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο περὶ τοῦ πρότερος εἰπεῖν πρῶτα διαμαχοῦμαι.

Tertium exemplum esto Plut. 1170, ubi et in V et in R est:

ἵν' εὐθέως διακονικὸς εἶναί μοι δοκῇς [1]).

Frequentiores sunt versus, ubi extrusum est verbum genuinum, ut spatium fieret spurio.

Viam, qua huiuscemodi vitia irrepserunt, munitam videmus ubi interpretamentum habetur pro lectione altera. Nam periculum erat ne altera illa lectio mox potior videretur et mentione unice digna. E. g. Plut. 106 in V legimus:

μὰ τὸν δί'· οὐ γάρ ἐστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ. γρ. ἐμοῦ

Noli credere, nam meliora docet R, in quo adscriptum est: ἀντὶ τοῦ ἐμοῦ.

Utrumque codicem similis error invasit Plut. 1093:

ἱκανὸν γὰρ αὐτὴν πρότερον ὑπέπιττον [2]) χρόνον. γρ. ὑπεπείρων

Sic V; item R in scholiis: γρ. καὶ ὑπεπείρων. Merae nugae. Olim ἐπείρων fuit ὑπεπίττουν.

Textui certe locis modo laudatis vis non est illata. Id vero ante oculos nostros in R fieri videmus Thesm. 493; ubi librarius dedit:

οὐδ' ὡς ὅταν μάλισθ' ὑπό του ***ώμεθα.

Quid corrector? Litteras quas stellulis indicavimus erasit sedulo, dein earum loco scripsit κιν, nec iam verae lectionis ullum extaret vestigium — nam e solo R hanc fabulam novimus — nisi forte fortuna apud Suidam servata esset: ληκώμεθα. Id igitur scripserat librarius, corrector vero exemplo usus in quo κινώμεθα legebatur ληκώμεθα, pro emendatione habuit interpretamentum verbi sibi ignoti, quod vitiosum ducebat. Ipsum autem interpretamentum illud e βινώμεθα (ut assolet) corruptum est.

Hic igitur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprensum tenemus maleficum: alibi delictum est perpetratum. Sic Eq. 669 Paphlagonis senatores retinentis verba haec sunt: *opperimini parumper, precor,*

---

[1]) -εῖς habet R.

[2]) Vitiose scriptum est ὑπέπιττον pro ὑπεπίττουν, quod aliunde est restitutum.

ἵν' ἅτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων.

Sic R, certo vitio, nam participium λέγων male abundat [1]). Opem fert V, in quo scripta sunt haec:

ἵν' ἅτθ' ὁ κῆρυξ οὐκ λακεδαίμονος λέγει πᾰ̈λ
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων.

Metro igitur invito versui praecedenti adhaeret πάλ(ιν). Errorem correxit Porson [2]); olim fuit

ἵν' ἅτθ' ὁ κήρυξ οὐκ λακεδαίμονος λέγει
λέγων
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν πάλιν.

Simillimum textus Sophoclei mendum iuvat conferre. Soph. Phil. 176 codex L habet:

ὦ παλάμαι θνητῶν,
ὦ δύστανα γένη βροτῶν κτέ.

Sed olim fuisse:

ὦ παλάμαι θεῶν,
θνητῶν
ὦ δύστανα γένη βροτῶν

et metrum docet et contextus. Emendavit Lachmann.

Eiusmodi vitio et in V et in R inquinatus est Plut. 397:

ΧΡΕ. νὴ τὸν Ποσειδῶ. ΒΛΕ. τὸν θαλάττιον λέγεις;
ΧΡΕ. εἰ δ' ἔστιν ἕτερός τις Ποσειδῶν, τὸν ἕτερον λέγω.

Nec minus luculentum exemplum est Av. 336:

πρὸς μὲν οὖν τὸν ὄρνιν ἡμῖν ἐστὶ<ν> ὕστερος λόγος.

Sic in V et in R dux avium, absurde scilicet de suo rege loquens; in V οὖν postmodo est adiectum. Apud Suidam vero alio vitio inquinatus hic versus sic affertur: ἀλλὰ πρὸς μὲν τούτους ἡμῖν. Quo loco collato verum restituit Porson:

ἀλλὰ πρὸς τοῦτον μὲν ἡμῖν ἐστιν ὕστερος λόγος.
τὸν ὄρνιν
In archetypo fuit τοῦτον: interpretamentum postquam tanquam lectio melior in contextum est receptum, expulit pronomen

---

[1]) Praeterea non ἅτθ' et λέγει, ut supra legitur, sed ἀτ' et λέγηι perperam scripsit R.

[2]) Cf. pag. 272.

τοῦτον et particulam ἀλλά. Propior autem a vero distat V[1] quam R, παραδιορθοῦντος enim est οὖν.

En aliud exemplum. Nub. 940 R recte habet:

φέρε δὴ πότερος λέξει πρότερον,

nisi quod in fine praestat πρότερος. In V haec misere sic sunt corrupta:

φέρε δὴ τίς λέξει πρότερος ὑμῶν,

quae in deterioribus codicibus novo vitio sunt inquinata: φέρε τίς λέξει πρότερος (vel -ον) ὑμῶν. Aperta res est. Codex qui librario V exemplo fuit habebat:

τίς ὑμῶν
φέρε δὴ πότερος λέξει πρότερος.

Etiam magis — si potest magis — aperta est mali origo Nub. 994. Recte ibi quoque R:

καὶ μὴ παρα τοὺς σ[ε]αυτοῦ γονέας σκαιουργεῖν, ἄλλο τε μηδὲν αἰσχρὸν ποιεῖν κτἑ.,

si neglegimus vulgatissimum errorem, quo περί abiit in παρά. Sequiores vero metro invito habent κακουργεῖν. Cur habent? Dicet V, in quo scriptum est:

κακουργεῖν
καὶ μὴ παρὰ τοὺς σεαυτοῦ γονέας σκαιουργεῖν.

Neque minus certa res est Nub. 1228, licet consentiant ibi V et R:

καὶ νὴ Δί' ἀποδώσειν γ' ἐπώμνυς τοὺς θεοὺς
τὸ χρέος. ΣΤΡ. μὰ Δί' οὐ γὰρ πώποτ' ἐξηπίστατο
Φειδιππίδης μοι τὸν ἀκατάβλητον λόγον.

Ubi levius est vitium πώποτ' pro πω τότ', multo gravius emblema τὸ χρέος in textum receptum. Comicus dederat:

μὰ <τὸν> Δί' οὐ γάρ πω τότ' ἐξηπίστατο κτἑ.

Cuiusmodi errores qui suo pretio aestimare didicit, iusto audaciorem non ducet Hermanni coniecturam Vesp. 350, pro codicum V et R et ceterorum lectione

ἐστιν ὀπὴ δῆθ' ἥντιν' ἂν ἔνδοθεν οἶός τ' εἴης διορύξαι

reponentis διαλέξαι, coll. Hesychii glossa „διαλέξαι· διορύξαι" et Lysistratae verbis (vs. 720):

τὴν μέν γε πρώτην διαλέγουσαν τὴν ὀπὴν | κατέλαβον.

Etiam versui Lys. 449 remedium iam est paratum. Clamat probulus:

οἴμοι κακοδαίμων· ἐπιλέλοιπ᾽ ὁ τοξότης.

Sic R, in Γ autem est ἐπιλέλοιφ᾽, quod paradiorthosi debetur, nam littera π veri indicium servat. Non ὁ τοξότης sed οἱ τοξόται probulum dereliquerunt; quod sic opinor dixit ille trimetro subtragico:

οἴμοι κακοδαίμων· ἐπιλέλοιπεν ὁ στρατός.

οἱ τοξοτ

Olim fuit ἐπιλέλοιπεν ὁ στρατός.

Neque temere fortasse — fortasse, inquam, nam tolerari potest lectio tradita — suspicetur quispiam vocem δυνάμει, quae Plut. 449 numeros tragicos debilitat, non poetae esse sed interpretis, olim enim fuisse:

δυνάμει

ποίοις ὅπλοισιν ἢ κράτει πεποιθότες.

Addatur *pronominum* non solum inutilium sed et vicinis perniciosorum exemplum unum et alterum:

Plut. 1042.

ἀσπάζομαί σε φησὶν ἀρχαία φίλη·
πολιὰ γεγένησαι κτἑ.

Sic uno tenore R, quasi cuncta haec verba sint iuvenis. Quid scripserit poeta fortasse nesciremus, — nam ut lepidum, ita difficilius inventu videtur, — nisi in V esset servatum:

NE. ἀσπάζομαι. *ΓΡ.* τί φησιν; *NE.* ἀρχαία φίλη κτἑ.

In A vitium quo infectus est R nascens cernitur; habet enim: ἀσπάζομαί σε. τί κτἑ.

Vesp. 1071 sq. *Si quis vestrum*, chorus ait,

Θαυμάζει μ᾽ ὁρῶν μέσον διεσφηκωμένον
ἥ τις ἡμῶν ἐστιν ἡπίνοια τῆς ἐγκεντρίδος.

Sic R. In V recte est ἥτις, vitiose Θαυμάζειν, in ultima autem voce turbatum est, nam prius fuit ἡμῶν τρίδος (si ductus oblitteratos recte interpretor), dein κεντρίδος (non ἐγκεντρίδος) id est factum. Verum restituit Bentley:

ἥτις ἐστὶν ἡ ἐπίνοια <τῆσδε> τῆς ἐγκεντρίδος.

Legitur autem τῆσδε τῆς in sequioribus, sed servato ἡμῶν versus initio; hic quoque nascens deprehenditur vitium.

Pac. 987 sqq. *Huc ades, alma dea,* — sic Trygaeus precatur ad Pacem, — *ostende te*

γενναιοπρεπῶς τοῖσιν ἐρασταῖς
ἡμῖν οἳ σοῦ τρυχόμεθ' ἤδη
τρία καὶ δέκ' ἔτη.

Vitium crepat genitivus verbo τρύχεσθαι adiunctus, vitium pronomen ἡμῖν misere παρέλκον. Quo deleto scribatur:

οἳ σοῦ <χωρὶς> τρυχόμεθ' ἤδη κτέ.

Cum his locis conferamus Plut. 148. Ubi ipse de se Cario, sortis iniquitatem indignatus:

ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον
δοῦλος γεγένημαι, διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως.

Sic R, neque alia verba praebet V, sed praebet aliter disposita:

ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον δοῦλος γεγένημαι,
διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως.

Non multum huic rei tribueremus, nam passim versus in V male sunt diremti, nisi ipsa verba „διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως" egregie displicerent. Verum in margine codicis R extat: ÷ πρότερον ὢν ἐλεύθερος. Quae verba licet signo ÷ ad primum trimetri verbum δοῦλος referantur illic, revera ipsius enuntiati esse partem sensit Heimreich; sic igitur cum illo scribamus:

δοῦλος γεγένημαι, πρότερον ὢν ἐλεύθερος,

olim liber eram, sed propter parvam pecuniae summam — publico opinor aerario debitam — *servus sum factus.* In archetypo igitur haec fuere:

ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον
διά τὸ μὴ πλουτεῖν ἱκανῶς[1])
δοῦλος γεγένημαι, πρότερον ὢν ἐλεύθερος.

Simile quid Eq. 325 accidit. Ubi et V et R et ceteri praebent hanc lectionem:

ἀναίδειαν ἥπερ μόνη προστατεῖ τῶν ῥητόρων.

---

[1]) Nam hoc, non ineptum ἴσως, interpres videtur scripsisse.

Abundat una syllaba sub finem, sunt enim numeri cretici. In archetypo videtur fuisse:

τῶν ῥητόρων
ἥπερ μόνη προστατεῖ τῆς πυκνός.

Gravius hic morbus affecit Thesm. 1031, ubi personata Andromeda verba sensu destituta clamat, si fides unico testi R:

ὁρᾷς οὐ χοροῖσιν·
οὐδ' ὑφηλίκων νεανίδων.
ψῆφον κημὸν ἔστηκ' ἔχουσ'
σ' ἀλλ' κτέ.

Aliter dividantur hi versiculi, scribatur χοροῖσ' metri causa, et ἐφηλίκων contextus causa: aliquid sic lucrabimur; sed restant ἀδιανόητα verba: ψῆφον κημὸν ἔστηκ' ἔχουσα. Viam veri inveniendi indicavit Hermann, scripsit enim ψήφων, dein vocabulum emendatum abiecit, utpote interpretamentum vocis κημόν. Ita, sed vocabuli vitiati, non integri erat interpretamentum. Nam „κημὸν ἔχειν" ne heliastarum quidem est, qui urnam iudicialem non *tenent*, sed ei *adstant* cum sententiam ferunt; ficta autem virgo eiusmodi quid de se praedicare omnino non potuit. Scribatur

κῶμον ἔστηκ' ἄγουσ'.

Non choreis laetisve puellarum coetibus iam intersum, sed sola hic mortem opperior. Cum Ω et *H* litterae saepe permutantur [1]), tum ἄγειν et ἔχειν.

Simile quid obtinet Eq. 707, ubi codicum lectio

ἐπὶ τῷ φάγοις ἥδιστ' ἄν;

sensu caret. Olim fuit:

φαγών
ἐπὶ τῷ μάλισθ' ἥδοιτ' ἄν; [2]).

Neque minus apertum est vitium vitiive origo Plut. 885, ubi de anulo magico iocans Cario ita loquitur in codicibus:

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.

Olim fuit:

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου φάρμακον,

erroris autem causa fuit κακοζηλία interpretis, qui pueros ut

---

[1]) Cf. pag. 297.

[2]) Sincera videtur 3ª persona, non tamen molesta foret secunda: ἥδοι(ο).

